

in peccato concepti fuerint (1), vel cum eam salutant *Dei opus* amicum et laudatissimum, *ab eo templum aut tabernaculum fabricatum* atque *constructum et fundatum* ejus manibus (2); vel cum celebrant Annæ conceptionem, quatenus in utero suo concepit *sanctam Dei genitricem, immaculatam Dei filiam, innocentem columbam, gratiæ portam, novum cælum, suave unguentum, gratiarum divinarum fontem* (3); vel denique cum eandem veluti *germen gratiæ* celebrant, gratiamque ei collatam *originalem* vocant, et *quam rubigo peccati non tetigit*, aut rosæ comparant, quæ ex spinis quidem nascitur at absque spinis, quæ comparatio nobilissimi antiqui poetæ est, scilicet Sedulii canentis :

« Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis.

Nil quod lædat habens, matremque obscurat ho-

[nore :

Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria.

Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret (4). Et hæc ex Patribus vel attulisse vel innuisse sufficiat ad patefaciendam traditionis vim in adstruenda B. Virginis immaculata Conceptione. Singulos siquidem textus asserre thesæos scholasticæ fines excederet.

30. Reliquum est ut ostendamus quod tertio loco proposuimus, scilicet eandem thesim in perpetuo Ecclesiæ sensu fundari. Patefit autem ejusmodi sensus ex actuali ejusdem Ecclesiæ manifestatione. Universo enim episcopatu catholico per encyclicam Immortalis Pii IX. ad promendum fidelium, cleri, suumque sensum circa articulum de immaculata conceptione B. Mariæ Virginis invitato, concors fuit

(1) Uti Eccl. Græca die 30. Decemb. nec non die 20. ejusd. mensis Ode I. s. Tharadius in orat. *De præsent. Beatæ M. V. S. Jacobus Monachus Hom. De nativ. Deip.* apud Comb. Auct. T. 4. p. 255 : aliique passim.

(2) Uti s. Dionys. Alex. in *epist. adv. Paulum Samosat.* edit. *De magistris* p. 221. s. Tarasius in *Homil. de præsentat. B. M. V.* Item Jacobus monachus in *Homil. de nativ. Deip.* ap. Combefis. Auct. tom. 1. pag. 1255. Andreas Cret. in *Hom.* de ead. festiv. ap. Galland. tom. xiii. p. 94. s. Ephrem. prec. iv. tom. iii. pag. 529. seq. a quo B. V. dicitur *Radix sancta, pulchra natura opala τῆς φώτης* Georg. Nicomed. pariter eandem vocat *formosam per naturam et in quam macula non cadit* ap. Combefis. tom. 1. col. 1098.

(3) Tales sunt s. Dionys. Alex. ed. cit. ep. adv. Paulum Samos. pag. 210. s. Proclus in *Laudatione s. Dei Genitr.* n. 14. Galland. tom. ix. p. 642. Theodotus Ancyran. in *Sermone de ss. Virgine et Simeone* ibid. tom. ix. n. 5 et 6. pag. 461. Vetus auctor cit. *epist. sub nomine s. Hieronym.* ad Paulum et *Enstochium de assumpt.* B. M. V. tom. ix. p. 406. Georg. Nicomedensis in *Præsent. Deip.* serm. 7. apud Combefis. tom. 1. col. 1075. s. Germanus *Serm. in Annunt. Deip.* Combefis. Auctar. tom. 1. col. 1423. s. Joan. Damascen. *Hom.* in *Annunt.* B. M. V. tom. ii. pag. 856.

(4) Cujusmodi sunt Joannes Euben. in *homil. festi Conceptionis ix. s. Petrus episcop. Argorum* apud Plazzam in *op. cit.* p. 635. In *conceptionem s. Annæ, quando concepit sanctam Dei Genitricem* n. 1. Georg. Nicomed. in *tribus homiliis de eodem argumento* ex Auct. Combefis. tom. 1. pag. 995. item

episcoporum omnium affirmativa responsio (5). Jam vero fides actualis Ecclesiæ criterium certissimum est ad cognoscendum quæ fides fuerit Ecclesiæ quovis seculo; nam Ecclesia numquam potest immutare fidem suam quam a divina accepit revelatione. Fieri quidem potest, ut nonnullis seculis minus cognita perspectiva a privatis hominibus hæc fides fuerit, at eadem jugiter in se perstitit, nec ulli unquam mutationi obnoxia (6), alioquin divina promissio de Ecclesiæ perpetua infallibilitate non modo nutaret, sed plane concideret.

31. Hoc vero semel ineluctabili fundamento præstituto, non abnuimus documentis etiam positivis ostendere constantem Ecclesiæ hoc de argumento doctrinam quavis ætate in Ecclesia viguisse, eaque plura sunt ac prorsus indubia.

32. Ac 1. antiqua ac plane immemorabilis festi institutio ad Conceptionem B. Virginis celebrandam cujus documenta tanquam de re jam admissa suppetunt ex seculo V. et VI. in Ecclesia græca, et sec. VIII. ac IX. in Ecclesia latina. (7)

33. 2. Liturgiæ pariter utriusque orientalis et occidentalis Ecclesiæ in quibus B. Virgo semper sancta ac immaculata effertur et prædicatur (8).

34. 3. Orationes panegyricæ in laudem ejusdem Beatæ Virginis quæ idem privilegium supponunt atque declarant.

35. 4. Hymni, qui publice in Ecclesiis canebantur in quibus diversa quidem ratione, sed apertissime gratia qua B. Virgo præventa est, immunisque a quavis culpæ labe in suo conceptu servata, celebratur (9).

p. 1013. ac demum p. 1046. nec non Menæa Græca passim, et Armena : nec non S. Maximus Taurin. *hom. hiem. v. Theodorus Studita in Nativit. B. V.* apud Marracium in *Mariali* s. Germani. S. Jo. Damascen. in *Homil. in nativ. B. V.* tom. ii. p. 847. *Sedulius lib. II. oper. Pasch.*

(5) Nam ex 620. Archiepiscopis et Episcopis qui responsa sua dederunt ad. Enc. SS. D. N. Pii IX. vix quatuor responderunt negative quoad definitionem, et hi ipsi testantur cleri ac populi devotionem et sensum firmissimum pro immaculata conceptione et ex his ipsis quatuor ex toto Orbe catholico, tres brevi mutarunt sententiam.

(6) Hinc optime Bossuetus in *oper. cui tit. Défense de la Tradition et des saints Pères* liv. viii. ch. v. hoc constituit principium cum S. Augustino : « Pour juger des sentiments de l'antiquité, le quatrième et dernier principe de ce saint (Augustini) est, que le sentiment unanime de toute l'Eglise présente en est la preuve; en sorte que, connaissant ce qu'on croit dans le temps présent, on ne peut pas penser, qu'on ait pu croire autrement dans les siècles passés, » quod deinde fuse evoluit capp. inseqq. opp. ed. Versailles 1815, tom. v. p. 42. Et iterum in *Recueil de dissert. et de letr. en vue de réunir les protestants, etc. lettre XVI à Leibnitz* : Hier on croyait ainsi; donc encore aujourd'hui il faut croire de même. ed. cit. T. xxvi. p. 251-240.

(7) Cf. nostram *Disquisitionem theologicam*, Part. I. cap. xii.

(8) Harum nonnullas nuper commemoravimus.

(9) Cf. *Disquisition. theolog.* part. ii. cap. vi. §. iv. præter Menæa Græcorum, Armenorum, Odas et triodia superius recensita.

36. Perpetua agendi ratio quam tenuit Apostolica Sedes ex quo controversia post celebrem s. Bernardi epistolam in scholis agitari de immaculata Virginis Conceptione cepit. Etenim ab initio Romana Sedes omnium Ecclesiarum mater ac magistra constanter siluit, ac licet cerneret magis ac magis in plures particulares Ecclesias cultum de immaculata Virginis conceptu propagari atque diffundi, attamen idem servavit silentiæ (1). Numquam præterea favit contrariæ sententiæ, cumque hæc de causa jurgia et scandala orirentur, Romani Pontifices incipiendo a Sixto IV. suam interposuerunt auctoritatem ad eas turbas sedandas, compescendosque tumultus. Etsi vero protestati fuerint se nolle suis Constitutionibus controversiam dirimere vetarintque ne privati homines notarent aliqua censura alterutram ex oppositis sententiis, tamen constanter ac veluti per gradus quosdam *negative*, ut ita dicam, ac *positive* piam sententiam promoverunt. *Negative* quidem magis semper coercendo contrariæ doctrinæ adstipulatores, donec ad silentium plane redegerint (2); *positive* tum instituendo peculiare festum et officium in quo *conceptionis immaculatæ* titulus ei adsertus expresse erat (3); tum indulgentiarum largitione ordinibus religiosis, confraternitatibus aliisque piis institutionibus sub eodem titulo erectis (4); tum declaratione objecti perpetui cultus Conceptionis B. Virginis, quod constanter in Ecclesia fuerit primum instans quo anima B. Virginis creata et infusa in ejus corpus fuit gratia sanctificante prædita (5); tum decernendo festum de præcepto pro Ecclesia universa; tum adjectione in Missæ præfatione « in Conceptione immaculata, » et encomii in lauretanis litaniis *Regina sine labe originali concepta*, quæ indulta est omnibus Ecclesiis eam petentibus (6); donec conspiratione universi Christiani orbis a Pio IX. dogmatice definita est.

37. Rationem porro theologicam hujus veritatis omnium consensu suppeditat divina maternitas, cum omnino incongruum videatur Dei matrem subjacuisse dæmonis servituti per originale peccatum.

(1) Jam vero, ut loquitur s. Augustinus *epist. LV.* ad Januar. cap. xix. n. 35. « Ecclesia... quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec facit » opp. ed. Maur. tom. ii. p. 142.

(2) Sane, aliis omissis, Paulus V. per decretum Ss. Inquisitionis 30. Augusti 1617. contrariæ sententiæ arctissimum silentium indicit in *publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actis publicis*; et Gregorius XV. die 24. Maii. 1622. decreto ss. Inquisitionis ab eodem approbato, hoc ipsum silentium extendit ita, ut « neque etiam in sermonibus et scriptis privatis » quispiam audeat sub gravissimarum pœnarum comminatione asserere B. Virginem conceptam fuisse cum originali peccato.

(3) Quod præstiterunt Sixtus IV. Urbanus VIII. Innocentius X. quorum Constitutiones exhibet P. Bened. Piazza in *op. Causa immaculatæ concept.* Act. v. art. ii. Testimon. xv. et xvi.

(4) Iterum Urbanus VIII. Clemens X. Innocentius XI. etc. *Ibid.*

Si quæ aliæ suppetunt huic omnes innotuntur.

*Difficultates.*

38. 1. Obj. 1. Oraculum Gen. III. 15. nimis vagum est ut articulus de quo agitur censeri possit a Deo revelatus, cum commode exponi possit de inimicitia seu potius de naturali aversione et *ἀποπαθειᾷ* inter homines et serpentes. 2. Verum dato etiam quod sermo sit de inimicitia spirituali, hæc debet intelligi de universa posteritate mulieris seu de justis omnibus per Messiam suum promissum liberatorem justificatis. 3. Eo vel magis quod longe diversa sit inimicitia inter dæmonem et promissum liberatorem ab inimicitia quæ intercedere debuit inter dæmonem et mulierem : illa enim intrinseca est, orta non jam ex immunitate a peccato, sed ab unione hypostatica; hæc autem ex sola gratia. B. Virgini communicata : identica proinde hæc inimicitia dici nequit in muliere ejusque semine. 4. Hoc vero luculentius elucet ex altero oraculi inciso et ipsa *conteret caput tuum*, cum exploratum sit in hebraica veritate legi *ipsum* *נִסְרָת* neutrius generis, scilicet semen, et in versione Alexandr. *ipse avróς* nempe filius, prout passim Patres legunt, nec desunt exemplaria ipsa vulgatæ versionis in quibus *ipse* reperitur, adeoque victoriam de serpente seu potius de dæmone non mulier sed Christus ejus filius retulit. Ergo.

39. Resp. Ad 1. N. Ejusmodi enim expositio de naturali inter homines et serpentes aversione propria est rationalistarum, qui nihil supernaturalé vident in sacris litteris; quam quidem ut adstruant plura debent absurda devorare, vel quod in tota hæc historia parte non exhibetur nisi mythus; vel quod in posterum tantum futura esset hujusmodi aversio, cum dicatur *ponam* in futuro; illa vero aversio illico extitit in præsentem. Ceterum nos hic assumimus cum Ecclesia universa, immo et omnibus interpretibus Christianis in nostro oraculo sermonem esse de Messia seu liberatoris promissione ejusque sanctissima matre (7).

40. Ad 2. D. Mediate, Tr. vel C. immediate N.

(5) Alexander VII. in *Const. Sollicitudo*. Die viii. Dec. 1655.

(6) Clemens XI. *Constitut. Commissi nobis* die vi. Decemb. 1700. Elenchum porro Ecclesiarum et religiosarum familiarum quæ petierunt ejusmodi additamenta exhibui in *append. i. ad Disquisit. theolog.* et supra tercentum enumerantur.

(7) Sane præter catholicos omnes interpretes, ipsi protestantes quos *orthodoxos* vocant, locum hunc intellexerunt de vaticinio Messiano. Cf. *Criticos sacros* in h. l. nec non Corn. de Hase *Diatribæ de protevangeliis paradisiaco* ad Gen. III. 15. cap. vii. in *Thesaur. theologico-philologico* Amstelod. 1701. Attamen Rosenmuller licet fateatur etiam penes Hebræos obtinuisse traditionem de intelligentia hujus vaticinii de Messia ad quam alludit s. Paulus Rom. xvi. 20, exponit cum Gablero aliisque rationalistis de odio perpetuo inter serpentem ac hominum genus ac juxta horum sensum idem est *serpens* apud Mosem quod *rulpes* in fabulis *Æsopianis*.

Nec enim abnuimus per quamdam extensionem verba Geneseos justos omnes comprehendere, qui per Jesu Christi gratiam cum diabolo pugnaverunt eumque vicerunt; ast hoc non impedit quominus primario ac immediate oraculum istud referri debeat ad Christum ejusque matrem, sine quo nulli prorsus justis extitissent, cum omnes tales fuerint per Christum, qui morte sua humanum genus a dæmonis captivitate liberavit. Adeoque si ad Christum primario ac immediate ejusmodi interminatæ perpetuæ inimicitia referuntur, nullum subesse dubium potest ad ejus matrem B. Virginem pariter primario ac immediate referri, cum textus dicat *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*.

41. Ad 3. D. Diversa est ratio seu titulus inimicitia pro diversitate subjecti, C. ratione sui N. Nempe inimicitia inter mulierem ejusque semen, et serpentem ejusque semen, quæ est objectum denunciationis sive sententiæ a Deo prolata, eadem prorsus extitit tum in muliere tum in semine ejus adversus serpentem sive diabolum ejusque asseclas, licet diversa ratione existeret in semine et muliere. In semine, videlicet Christo, hæc inimicitia necessaria erat ex duplici capite, id est ex unione hypostatica cum illa humanitate, cum qua peccatum consistere nulla ratione poterat (1), atque ex immunitate a quavis labe: in matre vero, id est in B. Virgine ex sola immunitate a culpa quam per gratiam Christi ejusque redemptionem obtinere debebat. Ceterum ex quocumque titulo hujusmodi inimicitia obventura esset, eadem esse debuit in Christo et in ejus matre respectu dæmonis deceptoris, et proinde perpetua in utroque juxta Dei sententiam prolata adversus dæmonem ipsum.

42. Ad 4. D. Id est non retulit mulier victoriam de serpente virtute propria prout retulit Christus ejus semen. C. Nulla ratione retulit N. Parum refert quoad rei substantiam sive legatur *ipsum* aut *ipse*, sive legatur *ipsa*. Nam catholici fatentur ad unum omnes solum Christum virtute propria contrivisse serpentis caput ac plene de eo triumphasse

(1) Non sine animadversione dimittendum est in hoc oraculo sermonem esse de Christo homine, adeoque de conjunctione humanæ Christi naturæ hypostatica cum divino Verbo futura. Porro ejusmodi conjunctio, seu assumptio humanæ naturæ cum Verbi persona provenit ex gratia, prout post S. Augustinum docent theologii omnes. Ex quo fit ut inimicitia denuntientur cum mulieris semine, sub hoc respectu, etiam ex gratia. Nec enim ullum meritum habebat singularis illa natura ad divinam unionem.

(2) Nemo negaverit in Ecclesia Latina per plura secula publice lectionem *ipsa* obtinuisse, atque concilii Tridentini ætate hanc unicam lectionem in vulgata editione fuisse; item codices primæ notæ hujus versionis adhibitos a correctoribus Sixtinis, Gregorianis ac Clementinis eandem sine variante lectione præsetulisse vocem *ipsa*, adeoque eandem lectionem probatam ac propositam a cit. Rom. Pontificibus; protestantes debacchatos hac de causa fuisse a-

B. vero Virginem eundem vicisse virtute Christi Filii sui. Cum enim hæc victoria effectus seu fructus sit denuntiata inimicitia, cumque ex dictis communis immo identica fuerit, licet ex diverso titulo in Filio et in matre inimicitia istiusmodi, hinc sequitur communem pariter ac identicum fuisse de dæmone triumphum, licet diversa ratione in Filio et in matre, Nec enim vis probationis pendet ex voce *ipsa* vel *ipsum*, sed ex inimicitia eaque activa Filii ac Matris adversus dæmonem. Haud diffitemur tamen viro vere catholico præferendam esse lectionem vulgatæ versionis, quæ *authentica* declarata est a concilio Tridentino, atque proposita authentice fuit a summis Pontificibus Sixto V. et Clemente VIII. in editione principis ab ipsis data typis vaticanis prout jam animadvertimus (2).

43. II. Obj. 1. Dogma fidei est peccatum originale in omnes prorsus singulosque Adæ posteros transmitti, prout expresse sacræ litteræ docent. *In quo omnes peccaverunt*, scribit Apostolus Rom. V. 12. atque Ephes. II. 3. « Nos omnes... eramus natura filii iræ, » præter non minus luculenta testimonia quæ in veteri Testamento occurrunt, ut illud Job. XIV. 4: « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? » Et Ps. L. 7: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. » Ad eximendam igitur B. Virginem ab originali noxa deberent afferri ex sacræ litteris testimonia non minus luculenta, quæ exceptionem ejus patefacerent; at tantum abest, ut ea occurrant, ut potius quamvis exceptionem excludant, uti cum 2. solum Christum antonomastice *justum, sanctum, germen justum* exhibent. Christus de se ipso inquit: « Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam (3); » et Apostolus de eo scripsit: « Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso (4); » et alibi passim (5). 3. Certum præterea est ex sacræ litteris testimonium ad omnes prorsus homines redimendos a dæmonis, et peccati captivitate venisse, « Omnes enim peccaverunt, scribit Apostolus, et egent gloria Dei (6). » Et « sicut in

versus catholicos tamquam bibliorum corruptores, atque idcirco catholicos controversistas et expositores, uti Bellarminus, Bonfrerius, etc. vindicias ejusdem lectionis adversus hæreticos calumniatores suscepisse ostendendo fundamenta gravissima lectionis ejusdem: quapropter non video quare nonnulli adeo nunc faciles se præbeant in addicenda victoria protestantibus potius quam Ecclesiæ catholice. Subtilis pariter magis quam solida nobis videtur distinctio excogitata inter *versionem vulgatam* et *editionem vulgatam*, quasi nempe eadem non sit editio vulgata, et *versio vulgata*, et aliam versionem vulgaverint et probaverint Rom. Pontifices præter *vulgatam veterem* a Tridentino concilio authenticam declaratam.

(3) Jo. XIV. 30.

(4) II. Cor. V. 21.

(5) Heb. IV. 15. VII. 26. I. Joan. III. 8. I. Pet. III. 18.

(6) Rom. III. 25.

Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (1); »-« Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere (2), » item « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis (3). » Et « Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus (4). » Quæ cum ita se habeant, jure concludit S. Leo M. « Dominus noster peccati mortisque destructor sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit (5), » adeoque etiam ad liberandam B. Virginem a peccato Christus advenit. (6) Ergo.

44. Resp. Ad 1. D. Dogma fidei est in omnes et singulos Adæ posteros transmitti originale peccatum, dempto speciali privilegio, C. hoc admissio N. Neque aliud evincunt allegata sive ex Novo sive ex Veteri fœdere testimonia, quæ ostendunt quidem fidei dogma de transmissione originalis culpæ in omnes Adæ posteros, non autem B. Virginem ex speciali Dei privilegio ab hac eadem noxa immunem non fuisse servatam. Omnem siquidem vim hisce textibus ad ostendendum etiam in B. Virgine peccatum fuisse transmissum ademit concilium Tridentinum, dum in suo decreto de peccato originali declaravit « Non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat (7). » Jam vero hanc declarationem Œcumenica Synodus facere minime potuisset, si allata Scripturarum testimonia comprehenderent etiam B. Virginem, quia tunc divinæ revelationi se contrariam et adversantem exhibuisset. Et hæc quoad catholicos: si vero res sit cum protestantibus, respondemus non ex privato sensu sed ex auctoritate Ecclesiæ divina eloquia esse intelligenda; cum vero Ecclesia objecta testimonia cum hac exceptione intellexerit, ea obesse nequeunt dogmati de immaculata Virginis Conceptione.

45. Post hæc supervacaneum videretur singillatim objecta testimonia expendere: unicum quod jure objici posset est illud Rom. V. 12: verum ex dictis reponimus illud *omnes* cum exceptione

(1) I. Cor. XV. 22.

(2) I. Tim. I. 15.

(3) I. Pet. III. 18.

(4) II. Cor. V. 14. 15.

(5) Serm. XX. in nativ. Domin. serm. I. cap. I.

(6) Ita quidem anonymus auctor libelli cui titulus: *Proposta di alcune difficoltà, che si oppongono alla definizione dogmatica della immacolata concezione della B. Vergine Maria*. Torino 1854. cap. II. III. V.

(7) Sess. V. Ubi animadvertendum, Concilium formulam illam verborum adhibere qua usus erat S. Augustinus in lib. de Nat. et Grat. cap. 36. n. 42. ac præterea innovare constitutiones hac de re indiscriminatim; jam vero Sixtus IV. dedit etiam constitutionem *Cum præcelsa* III. kal. Mart. 1476. qua probavit officium de Nogarolis, et con-

B. Virginis accipi debere, aut de debito illud contrahendi in B. Virgine, nisi speciali privilegio a Deo ipsa præventa fuisset (8). Alter textus desumptus ex epist. ad Ephesios non adeo decretorius est, cum illud *natura* juxta non paucos patres et expositores tantundem valeat ac *vere et omnino*; ac de peccatis actualibus intelligatur juxta contextum (9). Verum dato etiam quod de originali labe intelligi debeat, cum eadem exceptione qua prior textus est exponendus. Reliqui vero ad rem præsentem non faciunt: nam textus ex libro Job ad summum evinceret, quod ultro fatemur, non nisi Deum posse de immundo facere semen mundum, prout contigit in B. Virgine; dum David in allegato Psalmo se fateatur in peccatis conceptum non ideo includit B. Virginem.

46. Ad 2. D. Solus Christus prædicatur in sacræ litteris *justus, germen justum, Sanctus*, etc., qui talis sit ex conditione sua, C. ad exclusionem justis et sancti virtute aliena N. Porro quando dicimus B. Virginem fuisse in sua Conceptione justam et sanctam, id dicimus ex virtute Christi, qua sicut cæteri justis facti sunt per liberationem a contracto peccato, sic B. Virgo talis effecta est per exemptionem a peccato contrahendo.

47. Ad 3. Admittimus antecedens et neg. consequentiam. Omnes profecto homines a Christo redempti sunt, et a peccato liberati, adeoque et B. Virgo, cum hoc tamen discrimine, quod reliqui omnes redempti fuerint redemptione subsequente peccatum, B. vero Virgo, redemptione antecedente ne peccatum contraheret, ejus redemptionis exempla in Scripturis non semel occurrunt (10). Sic omnia componuntur. Ita etiam explanantur quæ ex II. ad Corinth. 3. objiciuntur, cum exploratum sit Christum reipsa pro omnibus mortuum esse, quatenus omnes mortui sunt aut de facto, ut reliqui homines omnes qui contraxerunt originale peccatum, aut debito illud contrahendi, cujusmodi extitit B. Virgo, quæ et ipsa mortua esset, nempe morte animæ de qua disserimus, nisi per merita Christi liberata fuisset et exempta ne eam de facto incurreret. Eodem sensu locutus est S. Leo M. quia Christus liberandis omnibus venit a peccato vel incurso vel incurriendo.

48. III. Obj. Patres in id conspirant ut B. Virginitatis indulgentias illis qui Missæ vel officio de *immaculata conceptione* interessent.

(8) Atque heic pariter notandum est jansenianos, ex quorum numero plerumque sunt, qui hunc articulum ætate hac nostra adoriantur de immaculata Virginis conceptione, ad textum qui illis objicitur ex I. Tim. II. 4. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, ad evincendum Deum velle omnium hominum salutem, innumeras prope technas adinvenisse, ut ostendant illud *omnes* plures exceptiones admittere: dum vero agitur de B. Virgine, urgent verba Apostoli recitata, ut excludant quamlibet exceptionem a contractione peccati originalis. Qua agendi ratione propriam produunt vafritiem.

(9) Cf. S. Hier. in h. l. nec non Bernard. a Piconio. Corn. a Lapide.

(10) Cf. superius d. eta.

ginem communi mortalium omnium conditione in peccato conceptam adstruant. Siquidem 1. docent eam esse nubem secundum hereditatem Evæ, scilicet peccatum, ut s. Ambrosius (1); dicunt culpæ obnoxiam feminam quæ hactenus maledicto obnoxia fuit; nempe usque ad Annunciationem, ut s. Joannes Chrysostomus (2): Virginem carnem natam asserunt, de nuptiis in fructu reddentem quod in radice perdidit, ut s. Hieronymus (3); 2. docent expresse B. Virginem redemptam fuisse sed ita ut fuerit liberata, mandata et purificata, ut s. Gregorius Naz. scribens Christum conceptum fuisse ex Virgine animo et corpore præpurgata (4), et s. Ephræm, qui scribit quod Christus, seu Verbum et ideo Virginem purificavit, mundavit eam in Sancto præparans Spiritu, intus Mariam ab omni corruptione alienam fecit, rubiginem quam natura habebat ferro adhaerentem gratia mundavit (5): et ita etiam s. Jo. Damascenus alique passim (6). 3. Docent solum J.-C. sine peccato conceptum et natum extitisse, quavis exceptione seclusa; ita S. Ephræm scribens: « Nullus absque crimine omnino inter homines, nisi solus, qui propter nos pauper factus est, quum esset dives. Ipse solus peccati omnis expers, qui tollit peccata mundi (7); » nec non s. Ieo M., s. Gelasius I. Joannes VI. (8). 4. Ratio autem qua permoti sunt Patres ad id sentiendum est, quod solus Christus Dominus sine virili complexu conceptus fuerit, ut omnium nomine declarat s. Leo M. dicens: « De sola conditione nascendi una cunctis est causa peccandi. Solus itaque inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus est (9), » alique passim, ut s. Ambrosius, Concilium soroliviense, et ante ipsos s. Irenæus (10), sed præcipue s. Augustinus, qui decretorie scribit: « Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem. Solus unus est qui sine peccato natus est in similitudine carnis peccati sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata; non declinamus in dexteram aut

(1) In ps. cxviii. serm. 5. n. 5.

(2) De Mundi Creat. Orat. vi. n. 10, tom. vi. pag. 309, ed. Maur.

(3) Ep. ad Eustoch.

(4) Orat. xxxviii. tom. i. pag. 620, ed. Colon. 1690.

(5) Adv. heret. de Margarita etc. edit. Venet. 1755, tom. i. pag. 254.

(6) Horum testimonia vel profert vel allegat anonymus Auctor Taurinensis in cit. Proposta di alcune difficoltà etc. ex quo hactenus has difficultates desumpsimus, et deinceps desumemus. Huic operi innixus est alter anonymus pariter Taurinensis (si tamen duo sunt) ad commonefaciendum episcopatum Orbis universi ne in errorem induci pateretur ob definitionem dogmaticam de immaculata conceptione B. V. Mariæ in opusc. Lettera di un Sacerdote cattolico ai Vescovi della Chiesa di Dio. Torino 1854. Vid. Proposta diffic. i-ix. et append. ii.

(7) Tom. i. pag. 303, edit. Venet. 1755. in op. Interrogation. et Respons.

(8) Apud Anonymum in Proposta Difficul. ii.

(9) Serm. V. de Nativit. Domini, cap. v.

sinistram. Vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus qui solus sine peccato est, et nostra potest delere peccata, perversa autem sunt quæ a sinistris (11); » 5. docent B. Virginem obnoxiam fuisse peccatis venialibus, cujusmodi sunt s. Ambrosius, s. Maximus Taurinensis, s. Jo. Chrysostomus, Tertullianus, Origenes, s. Basilius; s. Gregorius Nysenus alique non pauci (12). Jam vero ejusmodi Patrum doctrina, imo principia, nulla ratione conciliari possunt cum novo dogmate de immunitate B. M. Virginis a culpa primigenia. Ergo.

49. Resp. Neg. Maj. Atque hic denuo repetam animadversionem quam paulo ante præmisi, in responsione I. ad secundam difficultatam seriem: quod si Patrum traditio adversaretur immaculatæ conceptioni, profecto nunquam Tridentina Synodus in suo decreto excepisset B. Virginem; alioquin adversata esset divinæ traditioni quod nemo catholicus dicet, adeoque omnis eliditur vis objectis Patrum testimoniis. Ceterum falsum est quæ ex Patribus afferuntur conciliari non posse cum Ecclesiæ doctrina de privilegio B. Virginis, uti ex eorum analysi facile patebit. Itaque:

50. Ad 1. Prob. Neg. hos patres designasse originale peccatum: non Ambrosius, qui dum dicit V. Mariam nubem fuisse secundum hereditatem Evæ, non significat nisi naturam quam ex Eva habuit, eamque ex se peccato inquinatam, ast in Maria peccato solutam, alioquin sibi s. Dr. contradixisset, dum in expositione ejusdem psalmi liberam ab omni labe eam declarat (13), et ibid. N. 4. Christum ipsum per nubem illam ratione suscepti corporis significatum affirmat.

51. Severianus autem Gabalorum (non autem s. Jo. Chrysostomus) dum vocat Virginem culpæ obnoxiam feminam, non loquitur nisi de solutione illius sententiæ quæ pronunciata fuerat Evæ quod in tristitia esset paritura, dum B. Virgo esset paritura in gaudio, etc., cum dicit: non decebat culpæ obnoxiam feminam, non designat nominatim Mariam, sed feminam in genere (14).

(10) Ibid. Proposta diff. ii.

(11) De Peccat. merit. et remiss. lib. i. c. 35, n. 57.

(12) Apud Anonym. cit. Proposta diffic. vii.

(13) Serm. xxii. in eund. Psal. cxviii. n. 50. cum ait: « Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est; suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria; ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. » Quibus verbis adstrui privilegium Beatæ Virginis editores Maurini fatentur.

(14) Id patet ex orationis serie. Nam totus hic Auctor in eo est, ut ostendat B. Virginem solvisse dolorem atque gemitum damnatæ, nempe Evæ, et quia non decebat culpæ obnoxiam feminam innoxium gignere. Venit is qui primo Evæ tristitiam solvit in partu. Venit Angelus Virgini dicens: Ave gratia plena; tunc per Ave seu gaude illud, tristitiæ vinculum solvit. Ave quia hactenus maledicto obnoxia, ad pariendum scilicet cum dolore de quo disserit heic Severianus quem eruditus Anonymus confundit cum s. Joanne Chrysostomo.

52. S. Hieronymus nihil aliud docet quam B. Virginem communi ceterorum ratione procreatam, quod nemo unquam inficiatus est, et ipsam absque virginitatis læsione concepisse ac peperisse Christum. Igitur prima hæc Patrum series nihil habet cum maculata Virginis conceptione commune.

53. Ad 2. D. Redemptam docent B. Virginem, redemptione antecedente culpæ primævæ infectionem, C. hæc subsequente N. Nec aliud evincunt allegatæ auctoritates, quæ de mundatione, præpurgatione, purificatione proxima ac prorsus singulari intelligendæ sunt, qua B. Virgo ampliorem sanctitatem adeptæ est qua digna fieret divinæ maternitatis: alioquin ipsa in sordibus peccatorum jacuisset ad Angeli usque annunciationem, quod nemo contendit (1).

54. Ad 3. D. Docent solum Christum sine peccato conceptum in ordine ad generationem carnalem, et activam, C. in ordine ad generationem passivam N. Voluerunt nempe significare Patres adducti, alique passim, solum Christum conceptum fuisse absque virili complexu et hinc sordem nullam ex carnali generatione traxisse ad discrimen ceterorum hominum, qui carnali concupiscentia gignuntur; hocque privilegium solius Christi esse, quod verissimum est. Ast hoc non impedit quominus B. Virgo quamvis naturali ratione genita præservata fuerit a culpæ inquinamento cum ejus anima in primo suæ creationis instanti gratia sanctificante aucta infusa fuerit ad corpus informandum, et quidem ex meritis ipsius Christi. Hoc modo objecta omnia Patrum effata apprime cum dogmate de immaculato Virginis conceptu conciliantur.

55. Ad 4. Eadem esto distinctio. Hæc enim confirmant quæ modo diximus de activa generatione quæ communis est omnibus, uno Christo excepto, qui conceptus est de Spiritu sancto. Adeoque hæc de causa et in B. Virginem peccatum transmissum

fuisset nisi Deus eam præservasset. Quod speciatim attinet ad decretorium S. Augustini testimonium dicimus hoc in loco S. Doctorem saltem directe hanc nostram nec attigisse quidem questionem, cum loquatur de peccatis actualibus debitisque eis pœnis (2).

56. Atque hic sedulo illud animadvertendum est: cum Patres communiter docent per concupiscentiam in generationis actu peccatum transmitti, non eo sensu id eos docere quasi concupiscentia per se malum sit, aut quasi vehiculum sit transmissionis originalis culpæ, quod absonum videtur. Etenim subjectum peccati, ut docet s. Anselmus et cum eo s. Thomas est anima, et originalis peccati natura est negativa, privatio scilicet illius gratiæ, quæ homini inesse deberet, supposita primorum parentum ad ordinem supernaturalem evectio: materialis igitur concupiscentia influere nequit in hanc privationem: sed cum Adam semel gratiam originale perdidit, nequivit eam in posterum transmittere, qui proinde nascuntur culpa originali infecti. Itaque eo sensu tradunt Patres per concupiscentiam transmitti peccatum originale, quatenus inordinationem illam quam Adam per peccatum contraxit, parentes in filios transmittunt, quæ cum a peccato sit et ad peccatum inclinet ideo peccatum dicitur, ut declaravit conc. Tridentinum (3). Sane si Adam non fuisset gratuito plane dono a Deo elevatus per originale justitiam, neque ei adjecta fuissent dona præternaturalia, inter quæ recensetur immunitas a concupiscentia, homo in statu puræ naturæ genuisset liberos uti nunc fit concupiscentia, quoniam tamen ullum in filios transmitteret aut communicaret peccatum (4).

57. Ad 5. D. Atque idcirco decepti sunt contradicentes Ecclesiæ sensui, C. rite ita senserunt N. et Neg. consequentiam. Nam quoad mentem Ecclesiæ habemus Tridentinum quod agens de justifi-

cendo se esse sine peccato; in sinistram autem, per nescio quam perversam et pravam scuritatem se tamquam impune dare peccatis. » Quæ quidem verba ex quibus mens s. Augustini patet, omisit Anonymus auctor ut suo scopo textum s. Doctoris accommodaret.

(5) Sess. V. in Decreto de peccato Originali cap. ult.

(4) Exinde patet illud, ut ita vocem, theologum non seu placitum theologicum cui plerique inniuntur, ut adstruant B. Virginem contraxisse peccatum primigenium, intelligendum esse in sensu improprio quatenus concupiscentia qua nunc proles gignitur est indicium ac nota deperditæ per progenitores nostros justitiæ originalis, ex qua amissione factum est, ut libidine procreentur filii, quod non contigisset si Adam in officio stetisset; non autem quod ipsa per se sit vehiculum propagandæ culpæ; multo vero minus concupiscentiam esse peccatum, prout autumarunt protestantes. Hinc intelligentia habetur etiam phrasium quibus passim Patres uti sunt, dum solum Christum immunem a primigenia labe fuisse affirmant, eo quod solus sine complexu virili fuerit conceptus Spiritus Sancti operatione.

(2) Sane adductis ex Prov. iv. 27. verbis: Non declinamus in dexteram aut in sinistram, pergit: « In dexteram enim declinare est se ipsum decipere di-